



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. De loco & tempore ferendi arbitrii, seu sententiæ arbitratorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

rum restitueretur, sed quod ex officio iudicis facienda sit, si manifestam iniquitatem, aut enormissimam læsionem laudum illud contineat, vel arbitratoris arbitramentum sit, quo in casu peti etiam potest reductio usque ad triginta annos coram iudice ordinario, coram quo aliàs agendum fuisset, si nullum compromissum factum fuisset, nisi factò juramento renuntiatum fuisset reductioi arbitramenti.

§. VIII.

De loco, & tempore ferendi arbitrii seu sententiæ arbitratorum.

SI locus certus sit designatus, in quo arbitri suum laudum pronuntiare debeant, observandus hic est, ita ut partes ad alium citari non possint, neque pœnam incurrant, si fortassis aliqua opposita essent, non compareas in alio loco; si verò nullus locus determinatus est pro ferenda sententiâ, debet ibi hæc pronuntiari, ubi compromissum factum est, si tamen locus talis honestus sit, & nullâ exemptione contra iudicem aut arbitrum talem gaudeat. Si autem queratur, quo tempore ferri possit arbitrium, facile respondetur illicitè fieri, & nulla esse arbitria diebus feriatis ad honorem Dei institutis lata; legalibus verò feriis, si ferantur, partibus petentibus, valida quidem esse, cogi tamen iudicem vel arbitrum non posse ad laudum aliquod talibus temporibus ferendam, sicuti alibi docetur de sententiâ iudicum, quibus arbitri tales multùm æquiparantur. Attendenda tamen in his omnibus est recepta praxis & consuetudo.

§. IX.

De modis, quibus finitur compromissum & arbitratorum officium ac potestas.

Finitur compromissum & arbitratorum potestas primò, si causa per illos definita sit, propter quam factum est compromissum. Neque enim, postquam sententiam sive laudum de omnibus in controversiam adductis, & propter quæ compromissum factum fuit, pronuntiauerunt, mutare amplius aliquid possunt, aut interpretari, vel corrigere, &c. cùm functi sint omni suo officio, propter quod compromissum fuit (nisi in compromisso aliter expressum sit) ita ut etiam executio non ab arbitris, sed ab ordinario iudice facienda sit. Secundò finitur arbitratorum potestas, si conditio compromisso adjecta deficit, vel si terminus, aut tempus compromisso præfixum fluxerit (quamvis partes tempus hoc prorogare possint, sicuti primò constitutuere potuerunt) vel si triennium descriptum sit à litè contestata. Tertiò finitur hæc potestas, si arbiter, aut unus eorum, si plures in arbitros electi fuerunt, mortuus fuerit, vel longè discesserit, aut necessario impedimento impeditus sit, nisi cum clausula compromissum factum fuisset, ut si unus non posset arbitrium suum ferre possint. Quartò finitur hæc potestas, si compromittentes, aut saltem unus eorum moriatur, prout statuitur ex *c. Ex parte 10. h. t.* Etiam si causa jam fuisset conclusa, neque ad hæc redes compromittentiam transit com-